



# De optima concionandi methodo paraleipomena

<https://hdl.handle.net/1874/44872>

DE  
Optima.

Concionandi Methodo,

*πνευματικῆς.*

*In usum Theologiae Theoretico-practicae.*

Q U A,

*Duabus Disputationibus,*

DIVINA ANNUENTE GRATIA,

SUB PRÆSIDIO,

Doctissimi Clarissimique VIRI,

D. PETRI van MASTRICHT,

Philos. ac Theol. Doctoris, hujusque in Illustri Aca-  
demiâ Ultrajectinâ, Professoris ordinarii,

Publicè tueri sonabitur,

HENRICUS WAGARDUS, Vroonh. Brab.

A. D. 7. Decembris, Ante-merid. hora semi-decima,

& post-merid. hora prima.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ Meinardi à Dreunen, Urbis & Academiæ  
Typographi ordinarii, Anno clj lxxxi.

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimisque*

*VIRIS,*

D. D. CORNELIO CAMERLIN, J. U. D. Cameræ  
rationariæ Comitatus Hollandiæ & Westfrisiæ, Auditori  
primario; Avunculo meo honoratissimo.

D. D. NICOLAO BOSCH, J. U. D. Illustrissimi ac  
Generosissimi Herois D. D. GEORGH FREDERICI,  
Comitis in Waldec, Pirmont, Cuylenburg &c. Con-  
siliarii Ordinarii studiorum meorum Fautori summo.

*UT ET*

*Spectatissimis, Gravissimisque VIRIS,*

D. JOHANNI BOOMHOUWER, Mercatori apud A-  
quisgranenses Celeberrimo; Cognato meo venerando.

D. JOHANNI BROUTIN, Rei mercatoriæ Amsteloda-  
mi Cultori solertissimo, Familiæ nostræ Amico deditissi-  
mo, summo opere mihi colendo.

*Hasce studiorum meorum Theologicorum  
primitias,*

*submisisse offero & inscribo*

*HENR. WAGARDUS,*

*Resp.*

## Optima concionandi Methodo

ΠΑΡΑΛΕΙΟΜΕΝΑ.

*In usum Theologiæ Theoretico-Practicæ.*

*I.* Theologiam Theoretico-practicam, ad praxin practice formaturo, cogitandum ante omnia fuit de *methodo practica*, quæ & formantem dirigeret in meditando; & *legentem* olim in utendo. Occurrebat varia apud varios, quos Venerandus olim *κατηχησις* Celeb. D. Hoornbeckius in suis *de ratione concionandi Dispp.* designabat; sed non quæ magis arideret, quam ipsæ illæ ejus Disputationes, & qui successerunt, apud Anglos quidem Olivarius Bouwles in *Pastore Evangelico*, & nostrates *πρακτικώτατος* & ore, calamo & re, Vener. D. Guiliel. Saldenus, in elegantissimo suo *Ecclesiaste*. Quibus proinde his *παρρησιασμένοισ* nil substituendum; sed spicilegium qualecunque, in usum hujus Theologiæ, fuscipio; dicturus de *partibus* concionis, & *partium* partibus argumentisque, de *regulis* item quibus in singulis partibus dirigamur, & de *affectibus* qui in singulis veniant movendi, omnia tandem in *exemplum* illustraturus unâ enarratione textus Col. III. 1.

*II.* In concione itaque quatuor occurrunt observanda; inventio, dispositio, elaboratio & elocutio, quæ sibi invicem auxiliaries manus fideliter porrigunt.

*Quatuor in concione observanda. Inventio*

*III.* Inventio, vel est argumenti ad populum dicendi; vel textus argumento commodi: Argumentum dicendum, ab Ecclesia conditione, nec non à tempore, loco, aliisque à dicturo religiose observatis, suppetet: in cujus delectu videndum

*Argumenti*

1. Ut non quaratur soli dicturo obvium, familiare, commodum; aut
2. Quod aura vulgari concilianda aptum natum videatur: sed quod Ecclesie edificandæ (quod universa concioni cynosuram præstet) convenientissimum existit.

*Exempli* causa, observans in Ecclesia sua, nimum hujus mundi studium

*Exemplum*

dium, pietatisque spiritualis tepiditatem, argumentum suscipiat de conversatione cœlesti.

Textus.

Textus argumento selecto commodus, capiatur

1. E solis Scriptura libris canonicis, quæ conscientiam efficacissimo feriunt.
2. Nec nimium prolixus, ne prolixiori verborum explicatione, argumento tempus præripiatur.
3. Nec nimium brevis, ne minus perspicue & plene suum argumentum dicat, atque etiam affectata brevitatis suspensionem auditoribus generet.

Exemplum.

Exempli causa, argumento selecto de conversatione cœlesti, substruatur textus Col. III. 1. Itaque si surrexistis cum Christo, superna querite, ubi Christus est, sedens ad dextram Dei.

Dispositio concionis.

IV. Dispositio est, quâ inventa aut invenienda, in gratiam, cum intellectus, tum memoriæ, in ordinem rei analogum rediguntur. Cujus hæc sunt regulæ:

Legis dispositionis.

1. Absit confusio, qua nullus ordo servatur.
2. Item ordo non turbatus, quo servatur quidem; sed usque adeo occultatus, ut nullus appareat populo, non alio quam ut Orator claret Ecclesiastes, cujus sit artem celare.
3. Inconstantia, qua singulis concionibus singularem ordinem sectatur, quo fit, ut Auditores, comprimis rudiores, ejus methodo non possint adsæscere, concionis contenta memoria excipere, ac postea secum & cum suis repetere, sine quo, observante Amestio, omnis perit concionis fructus.
4. Favabit in hanc rem, connexionum transitionumque formulas auditoribus patefacere; nisi auditorii profectionis delicatiorisve ratio, ad nauseam declinandam, diversum quid suadeat. Quanquam & hæc rudiorum, qui maximum plerumque numerum præstant, ratio veniat habenda, cum eruditores facilius ad captum rudiorum, quam vice versa rudiores ad captum eruditorum sese componere queant.

Exordii

V. Elaboratio circa singulares concionis partes, partiumque ingreditentia sigillatim distinctur, in quibus primò occurrit exordium, ipsi Oratoribus orationis pars minus capitalis, adeoque à præstantissimis artificibus sæpius neglectum. Est tamen utile, tum ad præparationem auditorum, quâ vires ingenii & memoriæ paulatim colligant ad audiendum; tum ad attentionem provocandam, quod fit explicatione majestatis, necessitatis & utilitatis argumenti dicendi.

Exor-

Exordium varie à variis instrui consuevit, mihi multis rationibus maxime *Investigatio & constructio.* satisfaci, quod petiit à textus coherentia

Vel cum rebus, in syntagmate theologico ejus materiam proxime seu praecedentibus seu subsequenteribus. Id quod tum imprimis venit agendum, cum textus est abruptus, & cum contextu nullam ostendat connexionem, quod Proverbiis & Ecclesiasti comprimis est familiare.

Vel à verbis in contextu, seu praecedentibus, seu subsequenteribus

Utrumque horum perficitur

Partim thesicos alicujus apposita investigatione, ejusque probatione, facta dicto aliquo Scriptura, & confirmatione per solidam quandam & evidentem rationem;

Partim ejusdem traductione ad hypothesin, quae connexionem dudum investigatam exprimat.

Observatis his potissimum exordii regulis:

1. Non sit, vel tumidum, ut factus suspicionem in limine moveat; vel humile, ne excitandae attentioni ineptum accidat. *Leges exordii*
2. Nec longè petiit, aut longum, ne animum auditorii, per exordium suspensi, expectatione argumenti dicendi, nimium fatiget, & attentio flaccescat. in limine.
3. Nec alienum à textu, aut ab argumento, quod hoc ineptum sit ad preparandum, & ad provocandam attentionem.
4. Nec textui aut argumento intrinsecum & essentiale, ne materiam praeceperiat, aut postmodum otiose repetendam, aut suo loco cum damno negligendam.
5. Quare utilissimum duxerim, pro exordio brevem instruere & nervosam totius Capituli analysin, à quo textus est rescatus, quod hac ratione auditorium, non tantum coherentiam textus facilis assequatur; sed etiam summam hauriat integri alicujus capituli.

Affectus in exordio, quamvis non debeant esse adeo fervidi, ut quidem in argumento; nec tamen etiam prorsus nulli, cum animus auditorum veniat preparandus, & attentio erigenda, quod absque omnibus affectibus vix impetrabitur. Illi ergo affectus in exordio sunt admittendi, qui in attentione possunt obtineri, quales omnia illa provocant, quae argumenti imminentis majestatem, necessitatem, utilitatem pandunt. *Affectus in exordiis.*

Exempli causa, circa locum Col. III. 1. in investigatione exordii, observetur haec connectio: postquam capitibus praecedentibus doctrinae capita dixisset Apostolus; jam ad praxeos capita sese accingit. Sit igitur Thesis, Ecclesiastae non tantum capita doctrinae sunt dicenda; sed etiam *Exemplum, à connexionem, cum praecedentibus.*

De Methodo Concionandi

etiam praxeos. Est enim Scriptura utilis, non tantum ad doctrinam, sed etiam ad redargutionem & correctionem &c. 2. Tim. III. 16. Et Religio Christiana, doctrina est secundum pietatem. 1. Tim. VI. 3. Cum præsertim auditorum salus, perinde, & magis etiam, à praxi suspendatur à Servatore, quam à cognitione Joh. XIII. 17.

Hypothesis: hoc consilio Apostolus, postquam dixisset capita doctrinæ, ad praxin progreditur in textu nostro.

A connectione cum sequentibus.

Aut, si à connexionem cum subsequentibus malis instruere exordium, eadem methodo observabis, Apostolum praxin Christianam explicaturum Colossensibus, fundamentum totius negotii ponere in conversatione cœlesti; ut

Thesis sit: conversatio cœlestis basis est & fundamentum omnis officii Christiani, quod probeatur Scripturâ; & confirmetur ratione modo quem diximus, &

Hypothesis: hinc Apostolus officia Christiana explicaturus, orditur à conversatione cœlesti.

Contentum textus.

VI. Succedit secundo summa seu contentum textus, quo nimirum totum nobis suppetat, postea in partes commode dispescendum. Circa quod observandum:

Leges contenti.

1. Ut exhauriat textum, & partibus consiciendis sit adæquatum, easque nec excedat, nec ab eis excedatur.

2. Ut investigatum commodo titulo insignatur, per quem. V.g. sit consolatatio quadam, aut reprehensio, aut adhortatio; quo facto, commodius profuerit textus partes, ut patet per singula Theologiae nostræ capita.

Exemplum

Exempli causa: habet textus gravissimam Apostoli adhortationem de conversatione cœlesti.

Analys. textus.

VII. Succedit tertio textus expositio, quæ duo concludit

I. Analysin, qua contentum in suas partes partiumque membra dislocatur, quo singulorum efficacia, magis fiat conspicua. Circa quam observetur

Leges analysis.

A. Ut partes immediata contento sint adæquatæ, illudque plene exhauriant; mediata autem non tanta solennitate auditorio operantur, h. e. non tam per numeros; quam per paraphrasin, ne minutissimis sectionibus nimum gravetur memoria.

B. Partes immediata, substantivis nominibus contento analogis exprimantur, non autem particulis interrogatoriis, per quas, quid, quare, quomodo, quando aliisque, prout in singulis Theologiae nostræ capitibus monstravimus.

C. Par-

C. *Partes non sint otiosæ.*

2. *Exegesein partibus admixtam, quæ obvias obscuritates, controversias textuales, latentes ἐνεργείας producat, & expediat quantum satis est. In quam rem observandum*

A. *Ut obscuritates & controversiæ textuales non quærantur studio; sed obviæ sint, adeo ut iustis rationibus suspicari possint, auditores præstolari earum expeditionem, quæ proinde citra dispendium adificationis declinari non possit.*

B. *Ut per se satis clara & perspicua, non nitatur explicare Ecclesiastes, eo, non tantum argumento tempus surrepturus; sed etiam textum declarando magis obscuraturus, quin Scripturam perpetuæ obscuritatis damnaturus.*

C. *Mensuram itaque sufficientis explanationis capiat à proposito argumento, cui fundamentum struere nititur textus explicatio, quod proinde ubi factum, explanationi satisfactum.*

D. *Tandem partes explicatae complicantur rursus, paraphrasi quadam, ut commodius emergat argumentum doctrinale.*

Exegeseos admimicula repetantur

1. Ab analogia fidei.
2. Ab analogia contextus.
3. Ab extrinsecis textui, tum philologicis, tum philosophicis, tum historicis.
4. A Commentatoribus præstantissimis, cum criticis & verbalibus; tum analyticis ac realibus, Calvino, Piscatore, Polo &c.

Admimicula exegeseos.

*Affectus hic non adeo sunt vehementes, nec fere moveantur, nisi qui ex convictione nascuntur, puta, tum amor veritatis divini; tum odium falsitatum, detorsionum, παρερμηνειῶν quarumvis. His itaque movendis conducit quicquid aptum natum est convincere, h. c. quicquid solide & evidenter dicitur.*

Affectus explicatio- nis textua- lis.

*Exempli causa. In exhortatione textus Col. III. 1. quatuor partes obviæ sunt.*

Exemplum explicatio- nis tex- tualis

1. *Fundamentum exhortationis: Si enim unà cum Christo resurrexistis. Indigitatur, tum unio cum Christo; tum communitio, cum mortis; tum resurrectionis ac vitæ ipsius. Vers. 3. Rom. VI. 5.*
2. *Officium fundamento superstruendum: Ζητεῖτε τὰ ὄνω. Ζητεῖτε seu in indicativo, queritis, ut significetur indoles & praxis eorum qui resurrexerunt cum Christo, quid faciant; seu in imperativo, querite, ut officium eorum exprimat: ni malis utrumque con- jungere, quod quærant, & quærere etiam debeant: τὰ ὄνω*



h. e. coelestia: ut officium præscriptum sit, coelestis conversatio in terris agenda.

## 3. Motiva duplex implicita,

A. Quod Christus ibidem sit, omnis amoris ac desiderii sui *regi* *o.*

B. Quod ibidem sedeat ad dextram Dei, h. e. in gloria, non autem in miseria, & qui proin glorificare olim possit & velit humile nostrum corpus. Phil. III. 21.

4. Nexus officii individuus cum suo fundamento, in vocibus: *in* *sv*: quod si igitur.

Complicatio par-  
tium.

Ut sensus sit: quod si antecedens illud, vos resurrexissete cum Christo, verum est, seu vos unitos esse cum Christo, & communionem mortis & vitæ habere in eo; tum verum quoque, vos quarere quæ superna sunt; aut si consequens verum non sit, nec antecedens esse.

Argumenti doctrinalis

VIII. Succedit quarto argumentum concionis doctrinale, è textu confectum, penes quod occurrunt

## A. Ejus investigatio &amp; propositio, in qua duo observanda:

1. Ut certo sit in textu, aut per invicem consequentiam inde producat, quo non quodvis dicat verbum Dei Ecclesiastes; sed hoc præcise quod est in textu suo.
2. Ut hoc etiam evidens sit auditorio suo, adeoque educationis seu consequentia ratio plana reddatur, ut non possint ambigere auditores, quin doctrina sit in textu

1. Investigatio ejus-  
que leges.

2. Probatio  
ejusque  
leges.

## B. Ejus probatio, facta locis parallelis aut ἰσοδυναμοῖσι, ad hoc ut auditorium magis sit persuasum, esse hanc constantem ac perpetuam Dei sententiam. In qua observandum

1. Ut solide consiciat probandum.
2. Ut non nude tantum citentur probatura, sed etiam breviter & nervose applicentur probando.
3. Ut tamen non vexentur textus, quæ sita nimia probationis evidentia.
4. Ut citra necessitatem non coarventur parallela, dicendisque tempus præcipiant, duo aut tria ordinarie possint sufficere, quod in duorum aut trium testium sit omnis veritas.

3. Confirmatio per  
rationes.

## C. Ejus confirmatio per rationes, quibus probatum insuper evidentiam nanciscitur, quæ testimonis juncta, admodum convincit: Sint autem.

Confirmatio

1. Solide & evidentes, apta natura quæ nolentes convincant.
2. Cautè

2. Cautè discriminentur à motivis , quæ ad praxin spectant, cum quibus magnam saepe fortiuntur affinitatem. Differunt autem, quod illa spectent ad intellectum convincendum de veritate ; hæc ad voluntatem movendam ad officium. Et si quando, in argumentis practicis non possis satis discriminare , cavendum saltem, ut bis non dicas idem.

3. Petuntur ista rationes , vel ex natura & affectionibus subjecti in argumento nostro, quæ nexum habent certum cum prædicato ejus ; vel ex natura & affectionibus prædicati , quæ pariter fortiuntur nexum cum ejus subjecto, vel ex utriusque immediata cohærentia. Ut nihil dicam de topicis logicis à causa, effectis subjecto, adjunctis, consentaneis, dissentaneis &c.

D. Ejus vindicatio, si quando scrupulis & objectionibus sit obnoxia observatio nostra, quæ,

1. Ut brevitatis studio non sunt querenda ; ita

2. Obvia, breviter & nervose solvenda

E. Ejus explicatio, qua, seu utriusque argumenti pars, subjectum & prædicatum ; seu capitalior saltem, per suas partes, ingredientiaque, distinctè represententur, quo majestas & ubertas suscepti argumenti clarius perspiciatur. Ubi

1. Cautè distinguenda explicatio verbalis ab hac reali, quod illa ulterius non enitatur, quam assequi genuinum textus sensum literalem ; hæc autem naturam rei verbis significat: quantum non ignorem hæc passim confundi, rectius tamen discriminantur, ut quodque suum locum obtineat.

2. Cavendum ut, comprimis in argumentis plusculum theoreticis, non digrediamur ad locos communes ( nisi fortè conciones sint catecheticæ ) sed apposita tantum seligamus.

3. Cavendum denique, ne nimium & hinc sumus copiosi, & applicationi, quæ anima est concionis, tempus præcipiamus.

Scopus univærsæ doctrinæ, cum non sit nisi convictio mentis, & cognitio veritatis quæ secundum pietatem est ; non alii affectus hinc noveri possunt, nisi qui hinc originem ducunt, puta amor veritatis, & detestatio falsitatis, reliqui enim in applicatione produntur.

Exemplum horum omnium, circa textum Col. III. 1. sic habet :

Exemplum.

Sit

De Methodo Concionandi

1. Investigatur.

Sit doctrina: quotquot uniti sunt cum Christo & communionem mortis & vitæ Christi obtinent, in conversationem degunt cœlestem. Dicit enim Apostolus, qui resurrexerint cum Christo, eos quærere superna: & qui cum Christo resurrexerunt, sane non alii sunt, quam qui cum eo uniti, cum eo mortui sunt, ac resurrexerant à morte,

2. Probatur locus parallelis.

1. Idem alibi dicit. V. g. Eph. II. 1. 5. 6. Ubi cum Christo vivificati, & cum eo suscitati, adeoque cum eo uniti, & communionem vitæ spiritualis consecuti, dicuntur positi cum ipso *ἐν ἐπιγεγνῶσις, in cœlestibus*, quo, quid obstat quominus intelligatur conversatio cœlestis?

2. Rursus Rom. VI. 5. ubi *ὁμοιοφύτοι τῷ Χριστῷ*, uniti sicut rami cum radice, eoque *ὁμοιοφύτοι* assimilati ei, tam quoad mortem; quam quo ad resurrectionem, dicuntur *verf. 11. vivere Deo in Christo*. Istud autem quo tandem distat à conversatione cœlesti?

3. Adde Phil. III. 9. se cum Christo unitum ejusque justitiæ participem, dicit oblivisci quæ retro sint, procul dubio terrena, & contendere ad ea qua à fronte sint, versus scopum ferri, ad palmam *τῆς ἀνω κλήσεως* & quid si non hoc est conversationem suam in cœlis habere? Nec sibi hoc tantum tribuit; sed quotquot secum *τέλειος* ( *verf. 15. sint* ) quod secum *πολίτευμα* habeant in cœlis. *Verf. 20.*

3. Confirmatur rationibus.

Nec desunt hujus rationes.

Primo enim, quotquot cum Christo qui è cœlis est, 1. Cor. XV. 47. uniti sunt, per generationem spiritualem ac cœlestem, cœlestem indolem acceperunt, quæ cœlestia sectatur; ii procul dubio conversationem degunt cœlestem.

Secundo, quotquot vocatione cœlesti tincti sunt, ii versus scopum cœlestem feruntur. h. e. cœlestem degunt conversationem. Phil. III. 14. Jam, quotquot uniti sunt cum Christo, vocatione illa cœlesti tincti sunt, quoniam hujusmodi vocatio unica causa est hujus unionis. &c.

Tertio, quotquot cum Christo uniti sunt hi præcipuos thesauros suos in cœlis habent, Matth. VI. 21. 22. eorum proinde & animus, & cogitatio, & studium in cœlis est.

4. Vindi-

Si dicas: interim & qui cum Christo uniti sunt, perinde ac qui-

vis, homines sunt, corpore & anima constant, in terris sunt, ac terrenis utuntur; proinde & cura ipsis competit rerum terrenarum: unde & Patriarchæ, Abrahamus, Isaacus, Jacobus; & Prophetæ, Samuel, David, Salomo; & fideles Novi Testam. Josephus Arimathias, Cornelius Centurio &c. terrena leguntur curasse, adeoque conversationem degisse terrenam:

catur ab  
objectione.

**Occurrat:** Utique habuerunt, & habere licet curam terrenorum, modo 1. Non absque cura cœlestium Psal. X. 4. Nec 2. potior sit cura terrenorum. Matth. VI. 33. 34. Nec 3. adverteretur cura cœlestium eamque extinguat. Rom. XIII. 14. Nec 4. terrena curentur propter se, sed propter cœlestia, ut traducamur per terrena ad cœlestia, divites reddamur in Deo bonisque operibus. 1. Tim. VI. 17. 18.

Porro argumentum hætenus assertum duo dicit:

1. Hos qui cum Christo sunt uniti, & communionem cum eo habent, tum in morte vers. 3; tum in resurrectione, de quibus particulatim brevitate studio non dicemus.

5. Explicatur per partes.

2. Eorum conversationem cœlestem, quæ

A. In genere non aliud est, quam vitam cœlestem hic in terris agere, ut gloriam cœlestem olim consequamur in cœlis.

B. In specie requirit.

1. Animum cœlestem. h. e. indole spiritali qua spiritalia sapiat. Rom. VIII. 6. 7. cœlesti ac divina præditum.
2. Pet. I. 4. qualis nim. his competit qui in cœlis sunt.
2. Scopum cœlestem, scil. quem cœlestis monstrat vocatio. Phil. III. 14. quem beati cœlites sectantur.
3. Occupationes animi cœlestes, tam intellectus, cœlestia cogitare, meditari, φρονεῖν. Rom. VIII. 6: quam voluntatis, quærere, sectari. Col. III. 1. 2. qualibus cœlites disimulantur.
4. Normam occupationum cœlestem. Matth. VI. 10. qua non secundum carnem, aut exempla hujus mundi vivimus; sed secundum spiritum Rom. VIII. 1. & XII. 2. secundum quam cœlites vivunt.
5. Societatem cœlestem, cum cœlestibus. Psal. XVI. 3. (non cum mundanis) qualem olim in cœlis habebimus.
6. Studium cœlestis, quo ea lubenter agimus que in cœlo aguntur. V. g. Deum videre h. e. cognoscere. 1. Cor.

\*\*\*

XIII. 12. Joh. XVII. 3. frui Deo, gaudere & delectari eo.  
 Psal. XVI. 11. glorificare Deum. Ies. VI. 3. &c.

Applica-  
tio.

IX. Quintò applicatio argumenti enarrati duplex, dogmatica quæ veritatem argumenti respicit; & practica quæ bonitatem ejusdem. Dogmatica rursus vel veritatem sectatur aliam, argumento nostro stabilendam; vel falsitatem ejus ope refellendam. E priori nascitur usus informativus, quo argumentum dogmaticum, usurpatur ad aliud quoddam religionis dogma confirmandum. Cujus hæc sunt præcipuæ leges: esto.

1. Usus in-  
formato-  
rius.

Ejus leges.

1. Hic usus varior imò rarissimus, nec sere nisi evidenti necessitate, aut egregia utilitate nobis extortus: quod tempus breve sit, & argumenti applicatio magis necessaria & utilis, ac proinde quavis arripere, videatur spirare dicentis, inopiam.
2. Veritas confirmanda sit momentosa, & efficacia confirmationis solida & evidens.

Ejus affe-  
ctus.

Scopus hujus usus, est convictio & eruditio auditorum, proinde affectus qui hinc resultant, aut huc spectant hinc movendi sunt, de quibus jam ante dictum §. V. VII. VIII.

Exem-  
plum.

Exempli causa in textu: si unum cum Christo conversationem degunt cælestem; tum fides, & bonorum operum studium divelli non possunt. Ratio est quia fides, & unio communicioque cum Christo divelli non possunt. Unde Christus nobis factus dicitur non tantum justificatio; sed etiam sanctificatio. I. Cor. I. 30. ipseque seipsum pro nobis dedisse dicitur, ut nos liberaret ab omni injustitia, sibi que nos purgaret populam peculiarem studiosum bonorum operum. Tit. II. 14.

2. Usus  
elencti-  
cus.

Ejus ingre-  
ssentia.

X. Sextò, à falsitate refellenda nascitur usus elencticus seu refutatorius, qui tria concludit:

- A. Statum controversiæ legitime formatum, ne aërem frustra quatiamus, aut operosè impugnemus quod non controvertitur.
- B. Κατασκευαστικῶν, quæ veritas stabilatur (a) Scripturis (b) rationibus & (c) consensu antiquitatis, imprimis adversus eos qui ab hoc consensu videri volunt pendere.
- C. Ἀποκατασκευαστικῶν, quæ adversariorum objectiones retundantur.

Leges.

Leges hinc sunt:

1. Controversiæ citra necessitatem, cum dispendio temporis, non queruntur.
2. Nec tamen è contrario, ubi Ecclesiæ ab illis imminet periculum, adeoque auditores armandi sunt, negliguntur.

3. *Sepulta non refodiuntor, nec ignotæ panduntor, ne refellendo doceantur.*
4. *Argumentis & solutionibus non utamur nisi solidis, quæ convincere volentem nolentem apta nata sint.*
5. *Non simus nimium operosi in hoc negotio, ne praxis suspendatur aut excludatur.*
6. *Operam demus ut & elenchus, quantum fieri potest, practicè tractetur, h. e. ut & veritatis propugnandæ, & falsitatis refellendæ emphasis & ἐπίγεια manifestetur ad pietatem, & ad salutem æternam, aut promovendam, aut impediendam.*

Exempli causa: in argumento Col. III. 1. *Si uniti cum Christo ejusque mortis & resurrectionis participes, non possunt non conversationem degere cælestem, tum si renue Orthodoxos calumniantur, qui clamant doctrinam eorum de justificatione per fidem s. lam, sordidæ & securitati carnali velificare.*

Exemplum  
elenchi.]

*Qui enim fide salvifica sunt imbuti, illi cum Christo uniti sunt, & communionem obinent mortis pariter & resurrectionis ejus, & hi tandem non possunt non conversationem degere cælestem.*

*Hinc, qui in Christo sunt, multos fructus ferre dicuntur, Ioh.*

*XV. 5. & qui cum eo crucifixi sunt, non ipsos vivere, aut sibi; sed Christum in ipsis Gal. II. 20. &c.*

*Si dicant: fide tamen solâ excludi bona opera; respondebimus, excludi quidem à justificatione; sed non excludi ab exercitio, aut à salute. Et nisi excluderentur à justificatione, nos excluderent à participio Christi Gal. V. 4. unâque opera à participio salutis. Rom. X. 3.*

XI. *Succedit septimò, applicatio practica, quæ vel malum respicit; cum triste, cui obnititur usus παρανυκτικός consolatorius; tum turpe, cui medetur usus ψεφάνος, reprehensorius, seu (qui coincidit) admonitorius: vel bonum, seu explorandum, quo facit usus περιεργάτος exploratorius; vel excitandum, quo vergit παρανευκτικός adhortatorius. Singulos horum singulatiim prosequemur. Primus ergo in praxi esto consolatorius, quo malum angens vel tollitur, vel mitigatur.*

3. Usus  
consolatorius.

Hunc usum tria possint ingredi:

1. *Mala recensenda, quibus mederi possit argumentum nostrum dogmaticum: spiritualia, corporalia &c.*
2. *Argumenta consolatoria, quæ singulis malis præstare possit nostrum argumentum.*

Ingradien-  
tia.

3. *Objectiones*, quibus argumenta illa consolatoria retundere, & obtundere adniti solet mens anxia, præoccupandæ & tollendæ.

Leges.

*Moderantur usum hunc sequentes canones:*

A. *Consolationi in praxi primum arbitror esse dandum locum, non tam quod piorum afflictorum prima nobis & præcipua debeat esse cura; quam ne ultimo loco posita, præcedentis præceos acumen & efficaciam obtundat.*

B. *Rarior reliquis usibus practicis, sit consolatio, quod spiritualiter afflictu variores in quavis Ecclesiâ existant, & his qui sunt, argumenta consolatoria, privatim commodius applicari queant.*

C. *Argumenta consolatoria non promiscuè profunduntur; ne ab impiis arrepta perperam usurpentur, in sui indurationem ac perniciem Mat. VII. 6. sed cautè discriminantur ab aliis quibus consolatio dicitur.*

Affectus.

Affectus qui in consolatione dominantur, sunt, ratione dicentis quidem, amor versus afflictum, & dolor de ejus afflictione, seu commiseratione: ratione afflictu inque eo erigendii, sunt spes & patientia, quæ movetur demonstrando 1. vel quod urget, revera malum non esse; vel 2. si fit, non tantum esse; vel 3. si grave fit, non tamen perpetuò, vel etiam diu duraturum; etiam 4. habiturum ex paterna Dei providentia suos usus, qui dolorem abunde compensare possint; insuper 5. iusto Dei judicio peccatis nostris multo graviora deberi; 6. declinari ejus & ope æternos cruciatus, &c.

Exemplum consolationis: Mala.

Exempli causa. Possit ex argumento dicto, his quorum conversatio est in cœlis, in variis casibus varia suppetere consolatio.

A. *Generaliter in omni malo, quale & quantumcunque sit, quod tales liberi sint ab omni malo. Sicut enim qui cum Christo uniti sunt cœlestem degunt conversationem; ita & qui cœlestem degunt conversationem, uniti sunt cum Christo, adeoque in eo; proinde, judicio Pauli, nulla jam amplius in eis est condemnatio. Rom. VIII. 1.*

B. *Specialiter, in quovis defectu; quia cum Christo unitis, in eo suppetit quod hauriant gratiam pro gratia, Ioh. I. 14. 16. adeo ut in eo sint consummati Col. I. 28. & II. 10. utpote qui ipsis est omnia in omnibus. Col. III. 11.*

C. *In angoribus peccati, quia uniti cum Christo, cum eo mortui sunt, & vita eorum cum Christo abscondita est in Deo Col. III. 3. una cum eo crucifixi sunt, & vivunt eoque immunes à reatu. Gal. II. 20.*

D. *In egestate terrena, quatenus 1. qui conversationem degunt cœlestem*

Item; Deum quoque reverentur, qualibus nulla penuria promittitur. Pſal. XXXIV. 10. 11: quatenus 2. in quavis egestate potior ipsis est substantia in caelis. Heb. X. 34. Pſal. LXXIII. 25.

E. In ipsa morte, quatenus (1) non modo, qui conversationem habent in caelis, & non spectant visibilia; sed invisibilia, persuasi sunt, ubi terrenum hoc suum tabernaculum destructum fuerit, se habere domicilium ἀχειροποίητον in caelis 2. Cor. IV. 18. & V. 1. sed etiam (2) sciunt, sicuti assimilati ei fuerint quoad mortem, ita quoque se assimilandos ei quoad resurrectionem Rom. VI. 5. imo (3) conversationem habentes in caelis, inde expectant Dominum Iesum, qui humilia sua corpora glorificet &c. Phil. III. 21.

Si dicant. 1. Interim tot urgeor tantisque malis, intus & infantia. extus. Respondeo (a) nec tot tantisque quantis Christus cui uniti sunt Matt. XXVI. 37. 38. nec (b) tot sorte tantisque quantis Paulus. 2. Cor. XI. 23. Imo (c) & hoc tibi pro argumento est, quod spes tua non sit; conclusa intra in hanc vitam. 1. Cor. XV. 19. h. e. quod conversatio tua in caelo.

Si dicant. 2. Si modo verè conversatio mea esset in caelis, Resp. (a) Satiarem seridè velis ac desideres esse, proinde est, ac satiaberis. Apoc. XXII. 17. Ies. LV. 1. Interim (b) teipsum appende eis notis quas paulò abhinc dicemus.

XII. Succedit octavò, malo tristi, malum turpe, cui reprehensio medetur, aliis nominibus, pro diverso tractandi modo, jam admonitio, jam debortatio, jam querela designata. Ingressiuntur eam

Usus reprehensorius.

1. Mala reprehendenda, seu habitus sint, qui vitia appellantur; seu operationes, quae mala opera designantur, ordine recensenda.

Ejus ingreditentia.

2. Argumenta reprehensoria, quae potissimum suppetunt:

A. Vel à turpitudine reprehendorum, quatenus illa adversantur legi, rationi recta, consuetudini bonae &c.

B. Vel à comminationibus divinis, quibus mala denunciantur malis istis.

C. Vel à iudiciis, quibus denunciata etiam inflicta leguntur.

3. Remedia, seu malorum causa, per emendationem tollendae. V.g. ignorantia, & cœcitas mentis; perversa inclinatio, habitusque voluntatis, prava consuetudines & exempla aliorum. &c.

Affectus suscitandi, hinc potissimum sunt 1. pudor ex turpitudine mali reprehensi oriundus. 2. Metus ex comminatione poenarum. 3. Odium ac de-

Affectus.



De Methodo Concionandi

detestatio ex utroque; & ex comminationibus, & ex iudiciorum divino-  
rum contemplatione emergens.

Exemplum  
repræsen-  
tionis.  
Repre-  
hendendi,

Exemplum esto in textu: Doctrina dicta notat hos

1. Quorum conversatio tantum abest à cœlis, ut in ipso sit inferno; eorum scilicet qui vitiiis infernalibus indulgent, odiis, imprecationibus, blasphemis, invidiis, seu quocumque modo palam impii sunt; quo nomine Judas dicitur abiisse in suum locum. Act. I. 25.
2. Quorum conversatio saltem est in terris, quos textus notat sequenti versiculo, qui terrenis, opibus, honoribus, voluptatibus se totos impendunt. Phil. III. 19. 1. Ioh. II. 16.
3. Quorum conversatio, nec in cœlis est, nec penitus in inferno; sed qui velut in medio suspensi sunt, nec verè pii, nec prorsus impii; sed ab utroque participant, quales hypocritæ. 2. Tim. III. 5.
4. Quorum saltem conversatio non est cum Deo, cœlitibus, aut cœlestibus, V. g. qui non delectantur exercitiis cœlitum, cognitione, celebratione, fruitione Dei &c. Iob. XXI. 14. 15.

Isti omnes

Argumen-  
ta repre-  
hensia.

- A. Ut alieni sunt à cœlis & cœlestibus, Eph. II. 12. ita indelem produunt terrenam, infernalem, diabolicam. Ioh. VIII. 44. Ut pote in quibus Deus hujus seculi operatur. Eph. II. 2.
- B. Sunt seclusi ab unione cum Christo, ut pote in quibus non est Spiritus Christi. Rom. VIII. 9. 14. & Christus non vivit. Gal. II. 20.
- C. Nec communionem habent cum & beneficiis Christi: cum ejus morte, ut pote ejus hostes sunt. Phil. III. 18; nec cum ejus resurrectione; ut pote adhucdum mortui in peccatis. Eph. II. 1. 3. 5. proinde nec cum ejus justificatione, glorificatione &c.
- D. Tandem quotquot cœlo ac cœlestibus non delectantur, iusto Dei iudicio, in locum sue indoli, suis cupiditatibus, suis studiis analogum, cum Juda ablegabuntur. Act. I. 25.

Causæ  
malorum  
tollendæ.

- Malis istis ut medeamur, necessum est inquirere in causas quæ tollantur, quales:
1. Mentis cœcitas, quæ spiritualia, divina, cœlestia, non cognoscit, prout sunt in se; sed pro stultitia habet. 1. Cor. II. 14. & I. 23.
  2. Cordis aversio à cœlestibus, & pro pensio ad terrena, quæ non sapiunt nisi carnalia. Rom. VIII. 5. 6. 7. Phil. III. 19.
  3. Nimia terrenorum cura ac sollicitudo, quæ animus gravatur ac detinet;

deorsum deprimitur. Luc. XXI. 34. & quavis spiritualia & celestia suffocantur. Matth XIII. 22.

4. Incredulitas, qua ea quæ de Deo, de spiritualium ac celestium præstantia, de celestis gloriæ pondere, in Scripturis pronunciantur, non satis credimus; unde monet Apostolus, ne quando in nobis sit cor improbum & infidele, ad deficiendum à Deo vivo. Heb. III. 12.
5. Perversa hujus mundi exempla, passim nobis obversantia, & efficacissime allicientia. 1. Ioh. V. 19. Rom. XII. 2.

**XIII.** Succedit nondè usus exploratorius, quo, seu virtutem aut vitium; seu bonum aut malum opus; seu gratiæ aut peccati statum investigamus, quo conscientia in virtute, bono opere & statu gratiæ, tranquillari, gaudere, gloriari & confirmari: contra in vitio, peccato & statu peccati constituta, salutari sensu, metu, cura tangi, & à statu peccati ad statum gratiæ, alici & pertrahi possit. Usus exploratorius.

Hujus itaque tria fere sunt ingredientia:

1. Argumenta motiva, quibus conscientia ad molestissimum & difficillimum explorationis laborem erigi possit, quæ à duobus potissimum suppetunt. Motiva ad explorandum.

A. Ab affinitate quam exploranda habent cum amulis quibusdam, qui per fucum eorum naturam imitantur & mentiuntur: unde seductionis periculum maxime proclive accidit.

B. A præstantia, utilitate, necessitate certitudinis, quam exploratione sectamur, & à facilitate negotii qua certitudinem assequimur, à consecrariis parta per explorationem certitudinis, pace, tranquillitate, gaudio, gloriatione spirituali &c. item à periculositate, & perniciositate, fallacia & erroris in negotio tanti momenti, carnali scil. securitate, obduratione, confirmatione in malo, & aeterno tandem exitio.

2. Signa quibus veritatem in exploratione quæsitam, certo & infallibiliter assequamur. Circa quæ Signa explorationis.

A. Caute observandum, quod exploratur sit ne virtus aut vitium, bonum aut malum opus; an vero status hominis spiritualis coram Deo, peccati an gratiæ: diversa hæc diversis quoque iudiciis investigari debent.

B. In virtutibus ac vitiis, bonis item ac malis operibus, duplex item cautè est discriminanda veritas, scil. physica, sitne quoad essentiam verè nobis præsens virtus aut vitium. V.g. verus aliquis.

De Methodo Concionandi

quis amor Dei. Quæ agnoscitur, partim ex causis, effectis, adjunctis, in qua proinde investiganda, non tantum est difficultatis ac negotii: & moralis seu *spiritualis*, sitne virtus, cuius præsentiam assecuti sumus, *communis* an salvetica, & vitium tale quod à *statu gratia* secludat, nec ne. Hoc sanè non tam proclive est certo discriminare, nec tot suppetunt ac tam evidèntia discriminis indicia. Proinde

C. In discriminatione *status*, aut virtutis vel vitii quod statum prodat, lentè procedendum, ne sine causa, ex *altera* parte piorum conscientias in dubitationes & angustias deducamus, è quibus postea non adeo facile possimus educere: ex *altera* hypocrisis etiam confirmemus & obduremus in carnali securitate sua. Quare

D. In exploratione *status*, aut virtutis ac vitii quæ statum prodant, non alia proferantur signa, quam *certa*, catholica, reciproca, Scripturæ consensu probe munita.

E. Nec tamen prorsus inutiliter etiam, imprimis in investigatione & discriminatione virtutum ac vitiorum, ea adhibentur signa, quæ ab una tantum parte arguunt, Scil. vel *negative tantum*, ut qui hæc aut illa non habeat, non sit etiam virtute aut vitio hoc aut illo præditus; vel *affirmative tantum*, ut qui hæc aut illa ostendat, citra dubium sit præditus, licet non vice versa.

3. Finis explorationis, ut facta investigatione confirmetur virtute salutaris præditi & in *statu gratia* eo ipso deprehensi: contra qui vitii laborant, exitiis potissimum, ad sollicitudinem, metum, & curam emendationis pertrabantur.

Finis explorationis.

Affectus in usu explorationis.

Affectus in exploratione movendi, sunt primò *metus* fallacia ac deceptionis, qui moveri possit inculcatione *momenti*, quod fallacia habere possit in turbanda conscientia pace, tranquillitate, gaudio, & in impedienda conversione & salute æterna: secundo *amor* & *desiderium* certiorandi *evangelii* status nostri spiritualis, quod itidem erigitur consideratione præstantia & utilitatis, in concilianda conscientia tranquillitate, gloriatione, & alacritate in quovis exercitio spirituali: tertio *audacia* & conatus applicandi quævis studia & labores, quo assequamur certitudinem boni status nostri: quo faciet certitudo successus per Dei gratiam, facilitas mediorum, collata cum momento certitudinis, quæ Exploratione queritur. Ex

Exempli causa: si quotquot unius sunt cum Christo, & communionem ob-  
 tinent mortis & resurrectionis ejus, conversationem suam habent in caelis; et  
 profecto, quod nos ipsos serio explore mus, sine penes nos conversatio eccle-  
 stis. Ubi

Exem-  
 plum ex-  
 ploratis-  
 tionis.

1. Motiva sunt:

- A. Quod absque hac exploratione non possumus esse certi, nos esse uni-  
 tos cum Christo, ejusque mortis & resurrectionis participes. Et  
 qua tandem nobis possit adesse solida conscientia pax, absque hu-  
 jus rei certitudine? Conf. Rom. v. 1. 2. 3.
- B. Quod etiam hic tam facilis sit ac proclivis error, cum non desint qui  
 pro caelesti conversatione, sibi applaudunt in civili & honesta quali-  
 tuncque, ut videtur est in Pharisaeo. Luc. xviii. 11. 12. & Ecclesia  
 Laodicensis Apoc. iii. 17.

Motiva  
 exempli.

2. Signa,

satis quidem superque colligi possunt, ex ipsa argumenti doctri-  
 nalis explanatione, quae exstat §. viii. attamen pro exemplo adde-  
 mus:

Signa  
 exempli.

- A. Cujus conversatio est in caelis, cujus eo ipso & thesauri: & ani-  
 mus est ibidem; ille aspernatur terrena. Matth. vi. 19. 20.  
 21. Conf. Heb. xi. 24. 25. 26. eaque quasi pedibus calcare  
 novit. Apoc. xii. 1.
- B. Cujus conversatio in caelis est, ille se in terris pro peregrino  
 habet. Heb. xi. 8. 9. 10. Phil. xxxix. 13. Heb. xiiii. 14.  
 Omnemque in terris fortunam aequo animo ferre potest. Phil. iv.  
 11. 12. 13. collat. cum Cap. iiii. 20. potest direptiones bo-  
 norum terrenorum, potest pessimas quasvis afflictiones, usque  
 ad divissimam mortem, aequo animo subire. Hebr. x. 34. 2. Cor.  
 iv. 17. 18.
- C. Qui mortem ipsam potest suscipere deique habere, imo etiam am-  
 bire, desiderio caelestium, ejus conversatio precul dubio est in  
 caelis. 2. Cor. iv. 18. Et cum Cap. v. 1. - 5. Apoc. xxi. 1.  
 17. Psal. xlii. 2. 3. Quamvis hoc non sit reciprocum.
- D. Quotquot conversationem habent in caelis, in mundum vici-  
 unt. 1. Job. v. 4. 5. utique non tam extra quam intra se, h. e.  
 Deum & Mediatorem, spiritalia & caelestia, quibusvis terrenis  
 opibus, voluptatibus, honoribus preferunt, & vice versa. Matth.  
 x. 37. 38. 39. & vi. 19. 20. 21. Collat. cum vers. 33.

XIV. Succedit decimus usus adhortatorius, quo argumentum do-  
 ctinale adhortatorii.

XXXXX

Strinale accuratur, ad excitandum studium virtutis aut boni alicujus operis. Hunc tria possint ingredi:

Ingr  
edia.

1. Officium quod suadetur, virtus aut bonum opus; suis actibus, aut objectis particulatim delineandum.
2. Argumenta quibus suadetur officium, ex Oratorum topicis; ab honesto, jucundo, utili, necessario, facili, à contrarii turpitudine, perniciositate &c. capienda.
3. Media quibus officium obtineri possit, si nim. virtus sit quod suadetur. Quae petuntur à causis, tum principalibus, tum instrumentalis, tam externis, ut Spiritus S. operatione, exercitatione, lectione verbi, auditione ejusdem, conversatione cum piis, precibus aliisque, quae communia sunt, & passim obvia: quam internis, quae ex officii ipsius quod suadetur, natura & indole investigantur, quales potissimum hic querenda sunt.
4. Modus quo officium exercendum, si bonum opus sit quod suadetur, v.g. Scriptura lectio, ubi non media; sed modus agendi quaeritur. Suppetet iste ex affectionibus seu adjunctis boni istius operis. V. g. quod sit sincere, graviter, constanter, ubique, versus quosvis &c. exercendum.
5. Observandum tamen, esse quae sub termino actionis seu boni operis proponuntur, dum interim habitum seu artificium intendunt, quale in exemplo nostro praestat conversatio caelestis. Atque adeo hic, verum circa virtutem, querenda adminicula quibus artificii illius facultatem nobis aliisque comparemus.

Affectus  
in exhortatione.

Affectus in exhortatione movendi, praecipui sunt, amor & desiderium virtutis aut boni operis, quos exaggerata officii praestantia, suavitas, utilitas: spes & audacia; quos consequendi certitudo & facilitas: metus quem utilitas & necessitas officii, collata cum ejus carentia cedere possit.

Exemplum  
exhortationis  
usus.

Exempli causa. Si quotquot cum Christo uniti sunt, & cum eo communionem obtinent mortis ac vitae, conversationem degunt caelestem; tum sane nohortatorum bis qui profitemur ac desideramus esse uniti cum Christo, & communionem habere cum ipso, omnibus modis admittendum, conversationem habeamus in calis.

Motiva possint esse:

- A. Profitemur enim nos (1.) unitos esse cum Christo, nos esse in eo, ejus ut capitis membra, ejus qui è caelo venit. Joh. v. r. 41. qui Dominus est è caelo. 1 Cor. xv. 47. caelestem vitam agit; nobis igitur nunquid convenit eandem cum capite vitam agere? Membra Christi

si caelestis, an membra hujus mundi, aut inferni, scorti faciemus? Conf. 1 Cor. vi. 15. proficiemus (2.) nos cum eo mortuas, nostramque vitam cum eo sepultam esse in Deo, Col. 111. 3. Nos cum eo crucifixos esse & vivere, imo Christum in nobis vivere, Gal. 11. 20. eoque crucifixum nobis mundum, & nos vicissim mundo. Gal. vi. 14. procul dubio ad hoc, ut sicut ipse morte sua vitam terrenam abdicavit, ut caelestem auspicaretur; ita & nos cum eo mortui terrenis, vivamus caelestibus. Conf. Rom. vi. 10. 11. (3.) Nos cum eo surrexisse, procul dubio ad hoc, ut pro terrena caelestem imposterum degeremus vitam. Imo (4.) nos cum Christo suscitatos, positos dudum cum eo in caelestibus. Eph. 11. 6. His igitur omnibus, nunquid convenientissimum est, ut vitam degamus caelestem?

2. Et quid suavius etiam cogitari possit, quam in caelis vivere, cum Christo, cujus jugum vel hic adeo iuave est Matth. xi. 30. cum Deo, cujus regnum non esca est & potus; sed pax & gaudium in Spiritu S. Rom. xv. 17. Et si in caelis vivere, non sit suavius & beate vivere, quid tandem esset?
3. Porro efficacissima est caelestis conversatio (a) ad pietatem provocandam, scil. dum continuè intenti sumus in caelum & caelestia. Phil. 111. 14. (b) Ad tentationes Satanae detorquendas, quando animis sumus in caelo, caelestibus inescari delicis, imo satiati, quid filii quis peccatorum, hujusque mundi caperemur? Conf. Luc. xv. 16. occupatos gravissimis caeli negotiis, quid avocaret ad terrena, futilia, puerilia? (c) Ad tollendam aut mitigandam qualis aut quam acerbis afflictionis amaritudinem, cogitare quietem quae nobis est seposita in caelis. Hebr. 1v. 9. 10. & x11. 2.
4. Tandem qui hic non incipit vitam caelestem, an posthac continuabit? Conf. 1 Joh. 111. 15. Joh. 111. 36. Qui hic non delectatur caelestibus; an posthac delectabitur? Imo qui hic vitam degit terrestrem, carnalem, infernalem, an posthac unquam potiretur vita spirituali, divina, caelesti?

B. Quo igitur expeditiores reddamur ad conversationem caelestem Media

1. Simus frequentes in contemplatione caelestis beatitudinis & eorum quae huc faciunt: Col. 111. 1. ignoti enim nulla cupido.
2. Simus Deo supplices, qui nobis sper Spiritum, spiritualem

ac caelestem indolem & propensionem conferat. Conf. Joh. 111. 5. qui nobis benedicat caelestibus donis in Christo Iesu. Eph. 1. 3. imo qui nos & hic ponat in caelestibus cum Christo, Eph. 11. 6.

3. Assuescamus caelesti conversationi, continuitatis exercitiis caelestibus, V. g. contemplationi, glorificationi divinae, sabbatismo caelesti, &c. desuescamus mundo & mundanis.

4. Ambiamus consortium caeleste, quali olim potiemur in caelis, Heb. x11. 23. quo ejus ope erigamur & formemur ad vitam ac conversationem caelestem. Conf. Heb. x. 24. 25.

Modus.

C. Et si etiam modum desideres caelestis hujus conversationis:

1. Sit ingenua, sincera, non fucata, quae extus formam caelestem mentiat, intus terrena sit, imo infernalis. 1. Tim. 1. 7.

2. Sit constans & perpetua. Gal. 111. 3.

3. Sit ubique caelestis, non tantum publice; sed etiam privatim: nec praesentibus tantum piis & caelestibus; sed etiam impiis, hypocritis & mundanis.

4. Sit universalis: h. e. caelestis non tantum in caelestibus, in cultu divino; sed etiam in terrestribus nostris negotiis, sic ut (a) in terrestribus semper possimus agnoscere aliquid spirituale. V. G. in cibi ac potus dulcitate, dulcitiem convivii caelestis. Matth. v111. 11. in claritate Solis splendore, claritatem Solis justitia. &c. (b) Ut per terrestria deduci conemur ad caelestia, &c.

Concionum aliorum quot.

XV. Habes igitur concionis partes omnes, partiumque singularem ingredientia, regulas, affectus & exemplum unum, in quo non tam materiam; quam formam referre conati sumus: tria hic observanda:

1. Omnes textus non admittere omnes & singulas harum partium. Sic usus informatorius, item refutatorius, imo forte nec consolatorius, adeo commodus est textui nostro, atque quidem tres posteriores.

2. Nec etiam, si forte textus omnes admittat, admittit semper vel temerarius, vel auditorii ratio: proinde delectus prudentiae Ecclesiasticus hic committendus est.

3. Nec in singulis partibus omnia admitti possunt ingredientia, nec si possent, debent semper. Nec quae admittuntur eorum conatu & prolixitate admitti debent, quod unum alio quandoque utilius accidat Auditorio.

Textus prolixiores quomodo tractandi.

XVI. Textus prolixiores, quantum ad rei summam, eodem modo possunt ac debent enarrari. Sic enim. ut

x. Vel

1. Vel, secundum leges explicationis textualis, breviter exponatur, tum scopus textus totius accurate investigetur, hinc unum argumentum doctrinale conficiatur, tum omnia quæ sunt in textu ad suum locum referantur, sic ut unum referatur ad confirmationem aut expositionem doctrinæ, alterum ad ingredientia consolationis, aut reprehensionis, aut explorationis, aut exhortationis: quod fieri perquam utiliter posse, ego in plerisque Dominicalibus constantè observavi; sed non absque labore.
2. Vel si hoc nolis, pollis textum, brevi analysi & exegesi expeditè, secundum prædictas explicationis textualis leges & eoque factò, præcipuas ejus doctrinas producere, & ex eis unam aut alteram, quæ maxime conduxerit Ecclesiæ, & per eas partes quæ maxime spectent ad ædificationem, persequi.
3. Vel singulis textus partibus, suas admiscere observationes, aut applicationes, selectis ex omnibus partibus utilissimis & maxime necessariis Ecclesiæ: qui modus receptissimus est.

**XVII.** *Hactenus inventionem, dispositionem & elaborationem diximus, restat elocutio, quæ tria ista complectitur:*

*Elocutio complectitur.*  
1. Stylum.

1. *Stylum, quæ esse debet:*

- A. *Purus, quantum fieri potest, ab omnibus vocibus exoticis, ac terminis artium, ut ab omnibus omnia percipi possint. Neque enim Deus, cujus personam Ecclesiastes sustinet, quicquam frustra dictum vult.*
- B. *Non sit tumidus, aulicus, sesquipedalis; aut etiam nimium vulgaris & abjectus, ut sondeat; sed masculus ac spiritualis.*
- C. *Clarus & perspicuus, rebus, secundum suum momentum exprimendis, commodus.*

2. *Vocem,*

2. *Vocem, quæ esse debet:*

- A. *Sonora, distincta, toti auditorio satisfaciendo sufficiens; nec etiam nimium tarda, aut nimium velox.*
- B. *Rebus & affectibus adaptata, proinde (a) nec nimium elata, nec nimium depressa; sed mediocris, ut pro te nata elevari ac deprimi possit. (2.) Non monotonos, seu per totam concionem uno tono oberrans; seu variato quidem, sed post aliquot commata ac periodos, in idem recidens: quæ*



*De Methodo Concionandi*  
monotonia plurimum decedit gratiæ & efficaciz con-  
cionis.

1. *Gestus.*

3. *Gestus, quas esse decet*

1. *Nec nimium affectuosos, nec nimium placidos.*
2. *Nec histrionicos, risum potius, quam pios affectus movere idoneos.*
3. *Spirituales, rebus que pronuntiantur, & affectibus qui moveri inten-  
duntur, adaptatos.*

Quibus  
rationi-  
bus hæc  
optima  
sit metho-  
dus.

XVIII. Hæc tandem concionandi methodus est, quam existima-  
mus non simpliciter bonam; (quod aliis etiam quibusvis, pro diversa  
ratione Ecclesiarum, locorum, temporum, nolim abrogatum) sed  
optimam.

1. *Ratione Ecclesiarum, qui ejus ope, quævis sibi, tam inter  
meditandum, quam legendum obvia, utcumque confusa,  
in suum locum referre, pariter & memoriæ committere po-  
terit.*
2. *Ratione Auditorum, qui dicta ac dicenda commodius profe-  
qui, memoriæ committere, rememorare, & secuta, aut  
cum suis repetere poterunt, à quo omnis fere concionis effica-  
cia suspenditur.*
3. *Ratione dicendorum, quæ cuncta qualiacunque sint, aut apud  
quosvis occurrant, ad ejus topica nullo negotio revocari  
possunt.*
4. *Imprimis ratione præceos, quæ hujus ope, ex ipsis fundamen-  
tis, secundum omnes sui partes, aptissime instrui & ador-  
nari potest, comprobantibus rem, tot Anglorum pariter  
& Belgarum scriptis *πεγαπρωτίοις*, beneficio hujus me-  
thodi adornatis.*

F I N I S.

### COROLLARIA.

1. *Non est gens tam fera que non agnoscat aliquod numen.*
2. *Nec tamen  
per naturam, ulli competit Dei cognitio, que ad salutem sufficiat.*
3. *Necessaria est revelatio. Que 4. in scripturis facta omnino sufficit ad sa-  
lutem. 1. Tim. 1. 11. 15. Estque 6. divine originis & auctoritatis. Ea 6. no-  
vimus Deum unum essentia trinum esse subsistendi modis. In his 7. secundus  
compositi Filio, Patri cetera coæterno. Ceteram 8. per incarnationem due  
compositi nature in una persona. Idque 9. per unionem non *γεννω*, ut  
Thestorius volebat; sed *ὑποσχεχὴν, ἀχάριστον καὶ ἀδιαιρέτην.**

F I N I S.